

scribo. » Hæc ille. Cui assentitur Psalm. CVI. ubi dicitur : *Convertit fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea*, id est, propter malitiam.

VII. Denique, polluit etiam aliquo modo infernum : infernus enim ex natura sua et prima origine non est nisi pars et centrum terræ. Ubi vero angeli peccarunt, centrum illud Dei operatione excavatum et formatum est in carcerem, equuleum seu ergastulum igne et sulphure plenum. Peccatum igitur infernum fecit.

Deinde, peccata sunt folles et fomenta gehennæ ignem accidentia et alentia. Cum enim infinitam malitiam habeant, nulla creata vi superari aut extingui possunt ; inde ignem illum perpetuo nutriunt : *Impietas malum est infinitum, quod semel accensum, nunquam extingui potest*, ait Philo. Quoties igitur peccas, toties huic igni fomenta subministras. Audi Isa. c. E. *Ecce*, inquit, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulante in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis*. Consonat huic loco, quod scribit Beda, l. III. hist. c. XIX. de visione Fursæi, qui videns ignem sibi appropinquantem, clamavit ad angelum ductorem : *Domine, ecce ignis mihi appropinquat : cui angelus : Quod non accendisti, non urit te*. Igitur qui peccant, accendunt ignem illum, et provocant in se, foveantque in æternum. Hæcine vero non est polluere infernum : incendio vastare ?

Denique, peccata ita diviserunt infernum ab universo, et quodammodo absciderunt, ut nulla ratione succurri damnatis queat, nec Deus oculo misericordiæ suæ eo pertingere. Hoc est quod pater Abraham epuloni, mendicanti ex inferno unicam aquæ guttam, respondit : « Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare : » ubi pro chaos Græce habetur *chasma*, hoc est, hiatus, scissura seu vorago. Nunc vero quis hanc tam irreparabilem scissuram fecit ? Quis immensum illum hiatus inter beatos et damnatos aperuit, ut non possint, licet vellent, illi ad hos transire opemque eis ferre ? Respondet Isaias, cap. LIX. *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret*. O malum detestabile, quod tantum chaos firmare, et Deo ac sanctis omnibus ita obfirmare potest ut nullum eis aditum præbeat, nullum foramen aperiat, per quod oculus misericordiæ vel saltem commiserationis miseris impertire possint ! Bene igitur S. Augustinus dixit in sententiis, sent. CLIX. « Unum est summum bonum, aliud autem summum

malum : hoc est peccatum, illud Deus. Illud propter quod appetenda sunt bona cætera, ipsum autem propter seipsum : hoc propter quod destinanda sunt mala cætera, ipsum autem propter seipsum. »

Vidistis, auditores, qualis lepra sit peccatum, et quantum corpus polluat a capite ad calcem. Huc ergo respexisse videtur Moyses, cum Deut. XXIV. præcepit : *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ*. Quid hoc est præcipere ? Numquid in hominis est potestate, vitare plagam lepræ ? Peccatum vitari vult, quod meretur plagam lepræ, quodque ipsum lepra est omnium perniciosissima et meretur separari extra castra, hoc est, excludi a Deo et sanctis omnibus immenso et insuperabili hiatus. Diligenter igitur observa, quisquis es o homo, et omnem adhibe conatam, ne lepram hanc incurras.

## CONCIO V.

QUORUMNAM CONSORTIUM, VELUT LEPROSORUM, MAXIME FUGIENDUM SIT, ET QUIDEM EX PRÆSCRIPTO SS. CANONUM.

I. Judæorum. — II. Magorum, venificorum, divinatorum. — III. Hæreticorum.

## THEMA.

*Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe*. Luc. XVII.

Cur a longe steterint hi leprosi, in promptu causa est, quia nimirum Lev. XIII. præcipit Deus, ut leprosi habitent extra hominum societatem, eam potissimum ob causam, ne alios inficiant. Quod quidem semper est observatum diligenter etiam ad nostra usque tempora. Hocque intelligentes leprosi hodierni, non fuerunt ausi Christo appropinquare, sed steterunt a longe, cum sanitate petierunt. Quod si leprosi non sunt tolerandi in hominum consortio, quanto minus nefarii homines, qui contagio peccati alios inficiunt ? Atque utinam leprosi isti saltem ab hominibus se removerent, et a longe starent, adeoque soli essent mali. Sed quod maxime dolendum, impudentissime aliis se associant, ut lepra sua eos contaminent, quales circa nos non pauci. Videat itaque, qui bonus est, quomodo illos fugiat : et si illi a longe stare nolunt, stet ipse longe ab eis, et quidem tanto longius, quanto gravior est animæ lepra, lepra corporis. Unde ad finem Apocalypsis S. Joannes clamat : *Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, etc. nec non* Eccl. c. VII. *Discede ab iniquo*. Verum ut

sciamus, quinam sint nobis fugiendi, dicendum est, quinam maxime sint leprosi et contagiosi peccatores.

I. Vitandi sunt Judæi, triplicem præsertim ob causam. Primo, quia interfectores Christi fuere, eumque quasi leprosum habuerunt, Isa. LIII. *Nos putavimus eum quasi leprosum*. Hinc enim eorum patriarcha Jacob abominatus est filios suos Simeon et Levi (Gen. XLIX.) cum in spiritu prævidisset Messiam ab eis occidendum : « Simeon et Levi, inquit, vasa iniquitatis bellantia : in consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtum illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum : » Christus videlicet, ut exponit S. Ambrosius, Origenes et alii, quem occidere præcipue Scribæ de tribu Simeon, et sacerdotes de tribu Levi. Hanc causam præterdit S. Ambrosius eaque convicit Theodosium imperatorem, qui concesserat Judæis ædificare synagogam Mediolani, palam in foro eum reprehendens et confundens quod scilicet in urbe, in qua Christus colitur, et crux adoratur, synagogam Christi interfectores extruere concessisset. Ut patet lib. V. epist. XXIX. ad Theodosium. Neque refert, quod isti ipsi Christum non occiderint, qui nunc degunt ; retinent enim idem in Christum odium, et quotidie adhuc lingua eum blasphemiam crucifigunt velut nequitiae hæredes, et malorum corvorum pessima ova, ut mox dicam. Sane Judæis post Christi necem (utique in penam sceleris) naturalis et peculiaris inest fetor ; unde Ammianus Marcellin. lib. II. vocat *foetentes* Judæos, additque eos idcirco Marco imperatori gravi fuisse fastidio : et Martialis, l. IV. epigram. ad Bassam : *Oles*, inquit *o Bassa, quod jejunia Sabbatariorum, id est, Judæorum*. Jure ergo ut foetentes hirci undique expelluntur.

Secundo, quia ipsi sacra nostra, et nos cane pejus et angue oderunt atque abominantur. Salvatoris nostri nomen præ odio nunquam nominant, et si forte illud casu legere vel sonare contingat, seipsum mulcant, et colaphum ori impingunt : aut si id expriment, dicunt *liscu*, exponendo id perlitteras initiales *immach, schemno, uzichro*, id est, deleatur nomen ejus, et memoria ejus. Refert Cornelius a Lapide, in cap. XXIII. Exodi. Eundem dicunt condemnatum esse in infernum, occisum ob scelera sua, etc. B. vero *Viginem, cujus puritati nulla creatura, secundum Ambrosium etiam angelica comparari potest*, ore coquinato, meretricem vocare non verentur : de sancta cruce orant : « Sint maledicti, qui adorant lignum marcidum, et Dei cultum tribuunt suspenso : » de Christi discipulis et sectatoribus orant : « Omnes hæretici, id est,

discipuli Nazareni subito pereant. » Quotidie ter in die in suis synagogis Romani imperii, potissimumque Ecclesiæ Christi eversionem impiis vocibus a Deo efflagitant. In f. Mardochæi deferunt ollas ad synagogam et conterunt, dicentes : *Sicut contritus fuit Aman, sic regnum Christianorum subito conteratur*. Quando transeunt ecclesiam Christianorum, dicunt : *Domus superbiorum, prosternat te Deus* : quando per cœmeterium : *Erit verecundia et repudiata mater vestra quæ nos peperit, quia finis Christianorum vermis est*. Quæ ex libro eorum, Mazor dicto, refert Bernardinus de Busto, in consilio suo de Judæis, apud Maiol. tom. III. canic. coll. I. Taceo quod licitum sibi putant quocumque modo perdere Christianos. Unde quidam eorum magnus rabbi dicit : *Optimus, qui inter gentes, est, dignus est, ut illi caput conteratur, velut serpenti*, Corn. in Levit. cap. V. Denique, magister Hieronymus a sancta fide cognominatus ex Judaismo conversus et Benedicti XIII. pont. medicus refert in tract. quem edidit, de Thalmud libri falsitate, c. V. et VI. lege cautum esse in Thalmud, ut Hebræi quibuscumque malis et incommodis potuerint, omnes Christianos afficiant, in fraudem impellant, fortunis evertant, oblatæque opportuna occasione trucidant. Sane hoc eorum odium non est privatum : odium Dei est, religionis est, omnium Christianorum est, ac proinde pejori odio dignum. Quis enim non odisse potest eos, qui Servatorem nostrum nosque omnes adeo oderunt ?

Denique, quia pestis et pernicies sunt Christianorum, quos usuris iniquissimis exhauriunt et fraudibus innumeris circumveniunt, ita ut Judæos inter Christianos tolerare, non sit aliud quam serpentem in gremio alere, vellucios in piscinam mittere, qui reliquos pisces devorent. Ac primo, quidem, vulpinam induunt pellem, christiano alicui diviti commercia suadent, pecunias credunt postmodum cum eum vident nummos expendisse, lupinam induunt, striete pecunias exigunt, quo majori cum fenore eos cogant moram emere, vel plures nummos mutuo sumere. Demum crocodili pellem assumunt cogendo creditorem, ut res suas vel ei oppignoret vel levi pretio vendat, sicque eum omnino devorant : et hanc technam statim progeniem suam docent, sicut et crocodili proles suas artem rapiendi. Ad extremum nullo se juramento teneri putant, nisi jurent manu imposita super librum legis suæ. Idcirco olim Norimbergenses et aliæ resp. non admittebant eos ad juramentum, nisi jurarent supra librum legis suæ. Ad hæc in die expiationis a rabbinis suis absolvuntur ab omnibus juramentis, Quomodo igitur eos non vitemus ut

leprosus? Sane merito puniuntur et in angustias rediguntur, qui rem cum istis habent. Quod enim prædixit et minatus est olim Judæis Dominus, si Chananæos gentiles non dolerent, sed inter se tolerarent, Num. XXXIII. hoc jam fere contingit nobis, si cum Judæis negotiemur. Quid ait tibi Dominus de Chananæis? *Erunt vobis clavi in oculis et lanceæ lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ, et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.* Clavi ergo Hebræi in oculis Christianorum sunt, quia suis aureis et argenteis nummis, quos ostendunt et mutuos offerunt, plurimos exosculant et decipiunt, ac deinde rebus suis exuunt, ut miseri ad extremum nihil amplius in domibus suis videant lanceæ in lateribus, ob perpetuam exactionem majoris et majoris fœnoris.

Sed quod pessimum, clavi sunt in oculis et lanceæ in lateribus, quia sæpe eorum malis exemplis Christiani pervertuntur et quasi stimulis incitantur ad eorum technas fraudes et usuras imitandas: quod utinam non de aliquibus Christianorum civitatibus dicendum sit. Sed heu! Ex nimia Judæorum familiaritate videntur multi judaizare et in propria membra sævire, in proprios, inquam, fratres, dum justæ monetæ a Christianis auferuntur et Judæis dantur, ut ipsi easdem deteriores reddant. Quid? Nonne Dominus dixit, Matth. XV. *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus?* Olim certe canes fuere gentiles, Judæi filii. Sed quia ipsi repulere patrem, Christum ejusque evangelium, nunc ipsi canes sunt; gentiles vero, id est, Christiani, facti filii. Id quod significavit mutatio manuum Jacob, super Ephraim et Manasse, Gen. XLVIII.

Porro ss. canones, causa XXVIII. q. I. c. Nullis, hæc in specie statuunt: Ne quis cum illis azyma comedat, aut cum iis communicet, aut aliquem eorum ad infirmos vocet, aut medicinam ab eis accipiat, aut in balneo cum eis lavet, et contra facientes jubent deponi, si clerici sint; excommunicari, si laici. Quam sanctionem aliquot pontifices instaurarunt, ut patet ex decreto Gregorii XIII. quod incipit: *Alias piæ memoriæ, data Romæ 30. martii, anno 1581.* Item can. Omnes, mox sequenti sancitur, ne quis eos ad convivium excipiat; ratioque additur, quia cum illi communibus Christianorum cibis non utantur, indignum et sacrilegum est, eorum cibos a Christianis sumi, ac si inferiores esse incipiant Judæis: si nos quæ ab illis apponuntur, utamur: illi vero a nobis oblata contemnunt.

II. Magi, et qui magicis vacant artibus, venefici, et divinatores, velis remisque fugiendi. Primo, quia sunt inimici Dei: ait enim lex Liberi,

cap. de inoff. testam. *Inimicus meus is etiam est, qui versatur cum inimicis meis.* Magi vero pactum habent sive explicitum, sive implicitum cum dæmone, Dei hoste, ac proinde et ipsi hostes ejus sunt. Unde Levit. XX. dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos vel ariolos, ponam faciem meam contra eam et interficiam illam de medio populi sui.* Propterea S. Bernardus adhuc puer, ex capite dolens, (ut est in ejus vita, l. I. c. II.) cum vetula ad eum adducta esset, quæ carminibus et incantationibus dolorem leniret, cum indignatione exclamans eam repulit; et paulo post divinam sensit virtutem, eodem enim die convaluit. Sentiremus sæpe divinum auxilium, si ad Deum, et non potius ad magos, confugeremus: sed quia Deo contempto ad Dei hostes confugimus, merito Deum hostem experimur.

Secundo, quia dæmon illorum opera plurimos alios homines ad peccatum pertrahit, nequissimus nimirum mercator, qui salutem corporis vel rem ablatam pollicetur et quandoque dat, ut animæ salutem auferat: ac veluti nutrix speculum exhibet infanti, interim illi aureum nummum subripit e manu: *Nulla utilitas temporalis,* inquit D. Thom. II. II. q. XCXV. art. IV. *comparari potest detrimento salutis spiritualis quod imminet ex inquisitione per dæmonum invocationem.* Si Marius post abscissum sibi crus unum, consentire noluit in sectionem alterius, esto illam judicarent medici conservandæ vitæ necessariam, quanto minus admittenda vel quærenda est curatio corporis trahens post se animæ ipsius interitum? Cum jussisset Ramises Ægypti rex architectis nobilissimam surrigere pyramidem, et cavere ne aliqua ex parte violaretur, atque ad vigilantiam eorum sollicitudinemque acuendam, filium suum parvulum alligari jussisset cuspidi pyramidis, cautissime circa illam versati sunt præcipue, ne puer ipse læderetur, cujus proinde salus eis commendatissima lapidi valde profuit. Ad eundem modum Deus corpori nostro alligavit animam velut spiritum nobilissimum, ut in omni nostra actione ad ejus salutem et incolumitatem præcipue attenderemus, nec quidquam corporis gratia faceremus, quod in animæ detrimentum cedat. Unde si corpus ægrum erigere, rebus tuis temporalibus providere cupis, caute agito, animam ne lædito.

Tertio, quia talium commercium plenum est periculo. Quis enim quæso salutem etiam corporis ab humani generis hoste, ejusque ministris speret? Vitam tibi potius eripere et collum frangere omnibus modis quærunt, si modo id non impediat Deus; tantum abest, ut te salvum et sanum velint. Unde S. Chrysost. lib. contra Judæos ait:

*Medicinam a dæmonibus expetis? Cum abirent in porcos Christi permissu, dæmones, in mare statim illos præcipitarunt (Matth. VIII.), et hominum corporibus parcent? Ejecerunt ex paradiso, honore celestibus orbarunt, et corpus curabunt, etc?* Plurima sunt exempla, quæ quam noxiæ sint hæ magorum ac dæmonum consultationes, clare demonstrant.

Sacri canones magos excommunicant, sacris prohibent, et infames esse declarant, cap. Pro dilatione, de consecr. d. II. quod ipsum etiam intelligendum de iis qui eos consulunt, cap. Quisquis, II. q. VIII. cap. Testimonium de testib. cap. Si quis ariolis, XXVI. quæst. V.

III. Hæretici. Hi etiam non in pontificis tantum, sed etiam in Cæsareis juribus procul vitari jubentur: *Hæresum sectatores,* inquit codex Theodosii, lib. XIV. de hæret. *ab omnibus locis, jubemus inhiberi, a mœnibus urbium, a congressu honestorum, a communionem sanctorum, etc.* Quinetiam ipse apostolus ad Tit. III. *Hæreticum hominem post unam et secundam correctionem devita.* Et quidem primo, quia sunt profugi de Ecclesia, ejusque desertores: propterea ss. patres et antiqui Christiani, quia magni erant fidei zelatores, summopere eos aversabantur et fugiebant. S. Joannes in secunda sua epist. vult eos non recipi in domum, nec ave eis dici: *Nec ave eis dixeritis,* inquit. Idem cum aliquando balneum esset ingressus ubi Cerinthus hæreticus se lavabat, exiliit eo viso dicens: *Timere se ne balneum concideret, ubi esset Cerinthus veritatis inimicus.* S. Polycarpus Joannis discipulus Marcioni hæretico obvians, et ab eo rogatus an eum nosset: *Novi,* inquit, *primogenitum diaboli.* Laude dignissima in hac re Samosata civitas fuit, quæ ejecto a Valente Ariano imperatore in exilium Eusebio eorum episcopo, viro sancto, Arianum acceperunt ab imperatore Eunomium: sed nemo ex omnibus aures ei præbuit vel cum eo loquebatur, unde scammis tantum et parietibus concionabatur. Qui balneum aliquando ingressus, invitans illos ad balnei societatem, neminem omnino socium habuit, nisi aliquos cum silentio adstantes, quo discedente effuderunt aquam in qua laverat, velut contaminatam in cloacam, quare paulo post ultro discessit. Datus eis post hunc Lucius, item Arianus, sed ipsi similiter eum aversabantur, qui cum aliquando in asello forum transiret et pueri ibi luderent, accedit ut pila per asini illius pedes volveretur, quam proinde contaminatam esse exclamantes, circumaccenso igne lustrarunt eam, quasi prius tangi ut impura non deberet. Refert Baron. anno 370. S. Paphnutius abbas inter eos considerare noluit, nec alium considerare passus est: SS. Alexander et Caius mar-

tyres, dum ad mortem ducebantur cum quibusdam hæreticis, id tantum orabant, ut separatim occiderentur, ne eorum sanguis misceretur hæreticis, Beierlinck, in apophtheg. Cosinas vir piissimus, cum sepeliretur prope eum hæreticus, clamat de sepulero: *Noli me tangere hæretice, ne accedas ad me hæretice,* in prato spir. c. XL.

Secundo, quia sunt fraudulentum, deceptores et blandiloquentiasua facile pervertunt animos: *Quorum sermo ut cancer serpit,* teste apostolo, II. Tim. II. in quem locum S. Leo, serm. V. de jejuniis ait: *Humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, occulte occidunt.* Ut enim leprosus inficit alium, et membrum putridum alia sibi adhærentia, ita hæretici. Unde bene Franciscus I. Galliarum rex dixit: *Si scirem brachium meum hæresi infectum, rescinderem et comburerem:* per brachium sine dubio conjunctissimum sibi intelligebat, juxta id: *Si manus vel pes tuus scandalizat te, etc.* Refert Beierlinck, in apophth. christ. Bene inquam, nam aliqui serperet et totum corpus inficeret. Quot Ecclesiæ membra uno sæculo, quot nationes, quot civitates infecit hæresis Lutherana et Calviniana? Ingens et sævissima fuit sub Commodio imper. pestis (refert Dion. Nicæus et Xiphilinus, in vita Commodi), quando malefici homines res oblatas venenis quibusdam in alios conjiciebant, mercede ad hoc conducti: unde Romæ sæpe in die ad duo millia moriebantur, et passim fere sub omni imperio Rom. homines peribant, sed hæresis nostro tempore longe latius grassata est, et subtilius hominibus aspersa, peste longe perniciosior. A peste enim nemo non cito liberari cupit, ab hæresi nemo sustinet, nemo admittit remedium, sed quærit unusquisque eam aliis inserere et dilatare.

Denique, quia dogmata nostra et hæreticorum tam diversa sunt in plurimis articulis, ut modus non sit conciliandi utrorumque animos, diversa ovilia, diversi ritus, diversi fines, etc. *Quæ autem conventio Christi ad Belial?* Et quæ vicinitas inter fullonem et carbonarium? Non possunt cohærere animi vere catholici, et Lutherani vel Calviniani, cum alter alterius doctrinam destruat. Nec quidquam hac in re potest confessio Augustana, quæ pacem tantum civilem concernit, animos connectere non potest; quia Lutherani ab Ecclesia in communionem nunquam recepti sunt, nec recipiuntur in æternum. Civilis illa pax inter utramque religionem sancita similis est vinculo ligneo, quo colligatur in horto arbor, quæ superne fissuram aperuit et diruptionem minabatur. Porro vinculum illud neque diu durare neque efficere potest, ut divisa arbor rursus coalescat. Quare licet quidem nobis cum hæreticis illis, qui in im-

perio tolerantur, agere in rebus civilibus, (quando aliter fieri nequit) nequaquam tamen in rebus fidei, multo minus cum iis qui nominatim declarati sunt hæretici vel excommunicati. In tribus autem casibus jure divino ac naturali fugiendi sunt. Primo, cum periculum est, ne tu vel tui ab iis pervertantur: secundo, cum videris eorum hæresi favere: tertio, cum scandalum creas aliis. Quare, auditores: *Fugite impias et Deum abnegantes hæreses*; (utor verbis S. Ignatii mart. in ep. ad Trallianos) *diaboli enim sunt adinventiones, serpentis malorum auctoris, qui per mulierem seduxit Adam*. Universim fugite omnes leprosus prædictos, elongate vos ab eis, ne a vobis se elonget Deus.

## CONCIO VI.

QUI POTISSIMUM HOMINES IN COMMUNITATE NON TOLERANDI, ET AB ALIIS VITANDI SINT.

Triplex olim lepra ejici jussa.

- I. Lepra carnis, hac laborant: 1. Libidinosi. 2. Validi mendicantes. 3. Incorrigibiles et contumaces. — II. Lepra domus, hac laborant: 1. Domus male morata. 2. Usuraria. 3. Suspecta de hæresi. — III. Lepra vestium, hac laborant: 1. Comptuli. 2. Seditiosi. 3. Scandalosi.

## THEMA.

Quos ut vidit dixit: *Ite*. Luc. XVII.

Num. V. loquitur ad Moysen Dominus. *Præcipe filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum*. Cujus præcepti triplex videtur fuisse causa. Prima, quæ dicto loco, in Hebræo indicatur: *Quia ego* (scilicet Deus, qui mundissimus sum) *habito in medio vestrum*: alter, ne leprosi alios inficerent, uti ovis scabiosa reliquas: postremo, ut in hac solitudine leprosi ab hominibus destituti discerent ad Deum recurrere. Quod si leprosus ejici voluit Deus et quidem has ob causas, quanto rectius ejiciendi sunt ab hominum consortio graves et contagiosi peccatores? Si enim Deus purissimus non vult habitare cum populo, in quo est leprosus, quanto magis cum eo, in quo est peccator gravis? Si ejiciendi leprosi, qua alios inficiunt, quantum magis tales peccatores, qui et ipsi alios corrumpunt? Si ejiciendi leprosi, ut ad Deum recurrant, cur non et illi peccatores, ut projecti ab hominibus discant ad Deum per penitentiam recurrere?

Porro triplex lepra vitanda et separanda proponitur, Lev. XIII. et XIV. Lepra carnis, lepra domus, et lepra vestium. Juxta hanc triplicem le-

pram, triplices leprosus reperio sensu mystico; quibus omnibus quamprimum eos viderimus, dicere debemus cum Domino in hodierno evangelio: *Ite*, id est, abite malæ pestes. Vultin eas nosse? Audite.

I. Lepra carnis. Hac infecti sunt primo, libidinosi. Scorta imprimis ex communitate pellenda sunt, quia multos inficiunt et secum in barathrum trahunt, Exod. XXI. Jubet Deus operiri foveam, alioquin dominum illius reddere totum damnum, quod accidit cadentibus in eam; atqui: *Fovea profunda est meretrix*, inquit Sapiens, Prov. XXIII. Peccant igitur non modo ipsæ foveæ et meretrices, quæ ad casum alios trahunt, sed et fovearum domini, parentes et magistratus qui eas non operiunt, seu non expellunt. Viderunt hoc primi duo imperatores christiani, Philippus et Constantinus Magnus quorum ille meretricum impudicitias lege sustulit, hic vero post ab ethnicis restitutas, denuo proscripsit. Quod sicut Judæis, Deut. XXIII. præcepit Deus: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*, quanto magis præcipitur id Christianis, quorum corpora per baptismum facta sunt templum Spiritus sancti? Præcipit ergo Dei lex prime, filiis et filiabus, ut caveant, a scortatione: deinde parentibus, ne permittant scortari liberos vel prostituant filias: deinde, magistratibus, ut non tolerant publica scorta et lupanaria; nam si meretricem unam non vult Deus esse, multo minus lupanaria.

Huc pertinent lyricines et psaltriæ quas sustulit e civitatibus Theodosius imperator. I. X. de scenic. c. Theod. et expelli jubet ex ædibus velut mortifera Sirenarum carmina, S. Hieron. in ep. ad Furiam.

Secundo, tales sunt validi sed pigri mendicantes, atque otiosi. Ut enim leprosi ad laborem inutiles redduntur, quia in illis, ut ait Bart. Angl. I. VII. cap. LXIV. contrahuntur digitorum articuli et manus quasi aridæ efficiuntur: sic inutiles sunt otio assueti validique mendicantes, qui in communitate nequam tolerandi, tum quia per otium addiscunt etiam graviora scelera, furta, rapinas, etc. quid enim otium nisi nutritio vitiorum? Unde Martialis: *Quæritur Ægyptus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat*: adhæc Eceles. XXXIII. *Multam malitiam docuit otiositas*. Nimirum, docuit ludere, heluari, debita contrahere, litigare, furari: unde apud Sinas optima politia, quia nulli otiosi: tum quia aliis egentibus nocent, et quæ istis debentur, illi devorant: causant etiam annonæ caritatem, dum non laborant et interim innumeris liberis item otiosis mundum replent. Apes certe expel-

lunt et negant fucos, qui mella non conficiunt, sed ea dumtaxat, quæ apes confecerunt, dilapidant. Nos vero istos alimus? Draco Bythinæ rex, tales lapidari jussit, quod videlicet, quia alienos labores comedunt, digni sint omnium manibus occidi.

Tertio, tales sunt incorrigibiles, qui instar putridæ carnis nulla salis fricatione emendantur, ac proinde velut emortua caro vitantur et excluduntur a communitatibus. Si quis leprosus apparebat, jussit eum Deus prius recludi septem diebus, quibus elapsis, si lepra crevisset debebat leprosus judicari et omnino excludi; sin minus restitui. Sic reprobi imprimis corrigendi, sed si non emendantur et pejores evadant, omnino sunt vitandi et tandem excludendi. Medici etiam explorant lepram fricatione et acu. Si enim caro fricta non rubeat, aut acu puncta non sanguinem, sed lacteam aut aquosam humiditatem reddat, signum est ecce lepram, ex Galeno et Avicenna. Pari modo si quis correctione frictus et confusus non erubescat, et castigatus non doleat, nec sanguinem lacrymarum effundat, signum est a Deo projectum, et ab omnibus merito tamquam diaboli mancipium vitandum. Ita enim jubet Dominus, Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus*. Quare Ecclesia tales excommunicat et interdicit omni commercio hominum: et velut lanio carnem inutilem e macello abjicit ad canes. Ratio, quia qui cum talibus vivunt, participes eorum fiunt, et cum illis puniuntur uti familiæ Core, Dathan et Abiron una cum heris suis. De his ergo monet Deus, Num. XVI. *Recedite a tabernaculis hominum, impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum*.

II. Secunda lepra est, lepra domus, Levit. XIV. Hac laborant, primo, domus illæ quæ corruptione morum infectæ, proinde infames sunt: quales sunt lusoriæ, ibi enim inficiuntur multi (siquidem nemo solus ludit), ibi nomen Dei jugiter blasphematur, ibi multæ fraudes committuntur, et inde contentiones oriuntur ac rixæ, ibi denique alterum devorat; quare hujusmodi domus terra illa vocari possunt de qua exploratores dixerunt: *Terra, quam illustravimus, devorat habitatores suos*. Num. XIII. devorat enim fortunæ, sæpe corporis et ordinariæ animi bona. Tales item tabernæopotatorie, in quibus perpetuæ commensationes fiunt. Ejusmodi domus videntur fuisse filiorum Job, qui quotidie per ordinem convivia agitabant: unde tandem domus super eos corruit, diabolo machinante et Deo permittente, omnesque oppressit. Ita evenit sæpe ejusmodi domibus ut vel debitis oppriman-

tur et tandem dominos evomant: sicut dixit Diogenes de domo ejusdam helluonis venali facta: *Minime dubitabam quod vini crapula excussa dominum vomeres*, Brus. I. I. cap. XIX. vel aliter puniantur.

Secundo, leprosa domus sunt, quæ alias domos expilant, usurariorum et similium, qui ædificant et dilatant domos suas ex vicinorum pauperum sanguine. Eo pertinent propolæ, quæ in civitate omnia coemunt, et aliis præripiunt. Cujusmodi mercatores sanguisugas populi quispiam vocavit: suntque instar vermis, qui pomum vel nucem exedit. Qui hujusmodi domos tolerant, serpentem in sinu fovent, et quasi obsidione quadam civitatem suam premunt. Dum enim avari illi omnia ad se trahunt, reliquis communitatis membris ad parendum victum præcludunt. Bene eos Sanctus Ambrosius vocavit *pauperum sepulcra* quia eos absorbent et consumunt. Ut ergo sepulcra decentiori loco sunt, cum extra urbem sunt, ita et avari illi. Certe illis sepulcris (avaris: *Qui conjungunt domum ad domum et agrum agro copulant*, quasi ipsi soli in terra habitare deberent) minatur Deus aliud sepulcrum, Isa. V. cum subdit: *Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino et descendit fortes ejus*.

Tertio, tales sunt domus suspectæ de hæresi, quia hæresis est malum contagiosum, et ab una domo in aliam facile derivatur: *Sermo eorum ut cancer serpit*, ait apostolus, II. Tim. II. *De mundo enim sunt*, ait Joannes, I. Joan. IV. *et de mundo loquantur*, id est, mundana, carnalia et placentia, *et mundus eos audit*. Unde tanto magis cavenda hæresis, quanto subtilius et spiritualius est peccatum, quod idcirco a magistratu non ita cavetur et extirpatur sicut alia mala, quæ facilius cognoscuntur, ut pestis, furta, homicidia, etc. S. Joannes Chrysostomus, episcopus Constantinopolitanus, non poterat quiescere, donec Ariani ex urbe pellerentur. Quare anno Christi 400. quando imperator Arcadius venit ad sacrum festo die epiphaniæ, sic ipsum compellabat: « Die mihi o imperator, si quis huic pulchræ et pretiosæ coronæ (monstrans eam quam in capite gestabat imperator) quosdam abjectos et obscuros lapides inseruisset, videretur hoc tibi tolerandum, et non tamquam universa per illos afficeretur contumelia, ægre tulisses? » Cum annuisset imperator: « Quid vero, inquit, non existimas universorum regem irasci, si in pia civitate, quæ omnino recte se habet, pars quæ male sentit, sinatur habitare: cum oporteat vel ab illis exigere ut convertantur, vel si perseverant, protinus expellere? » Quo audito impera-